



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ioan. Petri Maffei, Bergomatis, E Societate Iesv,
Historiarvm Indicarvm Libri XVI.**

Maffei, Giovanni Pietro

Antverpiae, 1605

Ex Eivsdem Paraenetica Ad Gasparvm Berzaevm, Cvm Is Armvsiam
Peteret.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11473

8 SELECTARVM EPISTOLARVM
EX EIVSDEM PARÆNETICA AD GASP
RVM BERZAEVM, CVM IS ARMVSIAM PETERET.



N Armuziana ista prouincia, primum & antiquis-
simum tibi sit Dei obsequium, & animi tui cultus.
Ex hisce fontibus cætera ad proximorum utilita-
tem largè manabunt. ac proinde curabis, vt semel
bisve quotidie te ipse ad calculos voces: atque in-
ter iudex cognitionè exerceas tum communè om-
nium illius diei cogitationum & actionũ tuarum; tum verò pro-
prium earum, in quibus aliqua per id tempus præcipuo studio vel
præcauenda, vel corrigenda, vel ad perfectum expolienda susce-
peris. In primis verò, Christianæ humilitati intenta cura studeat
velim: eaque potissimum obeas ministeria promptus ac libens,
quæ cæteri velut abiecta & minimè speciosa fastidiunt. in eo genere
catechismus est. quas tu partes ne alteri delegaueris. circa mensis
diem singulis diebus cõpita vrbs cum socio circuibis ipse, quod
in templum elata ciens voce. ibi Lusitanorum filios, puerosque &
libertos, nec non sexus vtriusque mancipia, salutaribus instructionibus
atque præceptis erudies: teque publicè præeunte, promiscuum
vulgus Christianas preces & pia dogmata resonabunt. His-
que id ipsum eo maioris apud te momenti debet esse, quod
eius laboris patientia non modò imperitos idiotasque ad noti-
tiam Dei atque ad virtutem informât; sed etiam reliquorum ani-
mos cum tacito quodam plausu atque approbatione concen-
trat. Delatus Armuziam, Proepiscopum adibis officii causæ: eique
ad genua protinus accides, & manum exosculabere. ex eiusdem
auctoritate conciones habebis; in confessiones audiendas incum-
bes; & cæteris Christiani pastoris fungere muneribus. Simul, o-
peram dabis, vt ab eo gratiam & benevolentiam inuas, quo pet-
te, si fieri possit, piis animi saltem ritè purgandi meditationibus
imbuatur. Reliquos item sacerdotes omni submissione & officio
demerere: curabisque vt ex iis quamplurimos ad easdem medi-
tationes Deo adiuuante perducas. Præfectus item præsidii, qualis
qualis ille sit, enitere quantum poteris, vt amicus ac propitius tibi
sit: neque res vlla erit tanti, vt dicto factove illum exasperes:
vbi hominem tibi arctè deuinxeris; tum si & malè audierit, & mo-
nendo reddi meliorem putaris posse, & occasio commoda incide-
rit; quam amicissimè ac demississimè & ore placido eidem expo-
nes, quinã de illius actis & vita sermones hominum sint: suadebilis-
que, vt famæ pariter & officio consulat. Multi erunt, qui de illa
ad te

ad te querimonias deferant; tuamque apud eum prophanis in rebus implorent opem. hisce tu occupationum tuarum & magnitudinem excusabis, & genus. addes, vereri te, ne parum ea legatione proficias. qui numen & conscientiam spernat, hunc tua quoque monita nihili esse facturum. Cum sodalicio misericordiam fac ut quam optimè tibi conveniat: sodalesque ipsos, quoad eius fieri poterit, mansuetudine ac benevolentia comprehendas, ac totum opus, quibuscumque licuerit rebus, pro virili parte promoveas. Aegrotos in publico nosocomio & vinctos in carcere identidem vites; hortaberisque ad cœlestes iras per sacram confessionem avertendas, quandoquidem ii propter admissa piacula ferme plectuntur, & sunt qui Sacramentum Pœnitentiæ nunquam obierint. Ad hæc, ubi res postulauerit, ages cum præsidibus utriusque loci, ut maturè cognoscantur singulorum causæ; ac simul, ut egentibus miserisque ad tolerandam vitam necessaria præbeantur. Iam, inter nauigandum, & posteaquam exscenderis, omni ope contendes, uti per idoneos certosque homines, Armuziani populi mores ac vitia domi forisque; genera pactionum & questuum; necnon in forensi re corruptelæ, factiones, calûniæ, & alia id genus, quibus opprimitur veritas; tibi quam notissima sint: quo ad ea postmodum curationes ac medicinam scienter accommodes. Hoc tibi ad rem ex animi sententia gerendam longè utilius fuerit, quam librorum arcenta pernoctatio, minimè tamè alioqui omittere. Mihi quidem in omnes partes plurimum sæper illam notitiã profuisse perspexi, in capessenda autè Christiana re, delectumque negotiorum habendo; illud vitabis in primis; ne, quorum fructus ad unum vel ad paucos pertinet, anteponas iis, quæ plures vel etiam uniuersos attingunt: sed quo latius quidque, eo potius & antiquius tibi sit. Quos in Societatis nostræ disciplinam admisseris: eorum profectum caue ne acriter tentameter explores, quæ patitur, ut ægroti natura, sic tyronis imbecillitas possit. sed semper infra potius, quam supra vires probatio sit. alioquin exacerbantur multi, sensimque desperant; ac domitis ad extremum frangunt, in auia & disrupta præcipites abeunt. Atque hoc toto in genere prorsus vitanda censeo experimeta, quæ vel inani & absurda nouitate, vel etiã procaci quadam & cynica libertate, aut risum, spectantibus, aut stomachum mouent. Tū verò sectabere quæ & in vulgus accepta sunt, & cum ratione pariter ac pietate consentiunt, cuiusmodi sunt quæ posui modò: carcerem & valetudinaria frequenter inuisere: vinctis & decumbentibus, in utroque homine patienter ac sedulè ministrare: itemque, ad paupertatis voluntariæ documentum, panes & numulos emendicare

dicare palam: & alia id genus. Porro ad regēdos & in virtute promouendos alumnos, illa res vna vel maximè proderit, comitate quadam eos & paternæ benevolentia significatione perlicere ad arcana pectoris sui planè tibi nudanda: sic prorsus, vti omnia cogitationum initia, quibus vel a deprauata natura vel à malo dæmone sollicitantur, extemplo ad te differre non dubitent. Hæc differendi & communicandi fiducia & consuetudo, mirum, in omnes partes quantopere conducat. siquidem occulta hostium fraudes, & improbæ petitiones, in medium protractæ, vel ipsa luce protinus euanescent: vel, si vrgere perstiterint, variis remediis opprimuntur, quibus in remediis expertæ virtutis illud est: vbi quempiam inani gloria, corporum illecebris, aliâve parû honesta cupiditate irritari cognoueris, huic præscribere spatium aduersus ea vitia meditandi: tu, quæ excogitauerit, iubere vt ea populo per occasionem adhortationis impertiat. Hinc duplex percipietur fructus; tenactoris memoriæ, quod ferè quæ cōmementi sumus, promendo & commemorando, alius nostris animis insiguntur: salutaris verecundia; quod nos ea non exsequi pudeat, quæ ipsi aliis facienda præcepimus. In Sacramento pœnitentiæ, eû negotiatoribus præsertim amplis & opulentis, sunt quæ ante criminum cognitionem, in ipsa cognitione, & post cognitionem obserues. Ante cognitionem; curabis, vti reus idem & actor (nisi id mysterium frequēter obire consueuerit) biduum aut triduum sumat ad antea facta vitæ reputanda peccata, & simul memoriæ causa in scedulam ex ordine referenda: vt ne imparatus, & sine aliquo moru doloris pudorisq;, ad accusationē accedat. In ipsa verò cognitione, si turpitudine flagitiorû, aut magnitudine scelorum, quod sepe fit, absterreni hominem senseris, quominus ipse se prodât; hilarari facies, blandoq; sermone, quin etiâ, si opus fuerit, variis te quoq; morbis animi olim implicitum fuisse testâdo, vti singula probè fateatur, adduces. & cum alia diligenter inuestiganda & elicienda sunt; tu verò accuratissimè, quæ ad nefario lucra, & res dolo malo partas aut retēras, pertinet. etenim, si quem scēnore contaminatum, aut peculatu, vel iniquis pactionibus, in vniuersum interrogas, num aliena possideat, vt est procliuis ad sui tutelam, & sibimet libenter ignoscit, hominum natura, facilè inficiabitur: sin genus vitæ artilive quam facit, si vsuras, & contrahendi, mercandi, vendendi formulas nominatim exquiras, & (si regius fortè præfectus curatorve ille sit) si de interuersa interceptaue pecunia, de monopolis per vim nefalque institutis, de quæ magistratus contra voluntatem Regis & ius cōmune plerumque sibi pro potestate & imperio

imperio vindicant, singillatim percunctere; multorum haud dubie delictorum confessionem exprimes, quæ reus alioqui, vel per malitiam vel per inscitiam silentio forsitan inuoluisset. A cōfessione, si noxius tibi dura & perfricta visus erit fronte; comperendinabis videlicet, eique certos interea locos ad commentandum assignabis, quorum consideratione, tamquam repetitis ictibus, de siliice pectoris sui, pios gemitus & aliquas amoris diuini scintillas excuriat. Quod si fraudati quid forte restituendum, vel condonanda iniuria, vel scorta relinquenda, vel eiusmodi quippiam expiandum sit: planè videbis, vti ante latam sententiam expietur, neu te largis cuiusquam pollicitationibus induci permittas: nam qui piaculis eiusmodi obstricti tenentur, ab sacerdote appellati, magis in promittendo interim faciles, quàm in præstando postmodum fideles, existunt. Vbi sine fallacia ab reo satisfactum esse didiceris, tum demum, æternis vinculis absolutum, temporario aliquo supplicio ritè iniuncto, dimittes. Si qua pecunia summa, seu propterea quod iusti domini copia nulla sit, seu etiam pietatis ac beneficentiæ studio, erit in pauperes conferenda; nequaquã ego tibi sim auctor, vt illius pecunia te sequestrum ac diribitorum exhibeas: sed eam tu (nisi si tibi secus interdum in re præsentis videbitur) ad Misericordiæ sodales extemplo rejicies; atque id multis gravibusque de causis, primùm, quod tibi non æquè ac sodalibus nota est mendicorum & egentium turba: quorum, alii sæpè morbum, alii probitatem & sanctimoniam, alii etiam inopiam ipsam egregiè simulant. Ad hæc, si percrebuerit, humanis necessitatibus & egestati paratum in tua facilitate subsidium esse, tanti vndique petentium concursus ad te fiet, vti ad Apostolicas functiones, quæ tibi primæ esse debent, otii nihil superfit. Non est porro æquum, te, qui ad Euangelium prædicandum veneris, relicto verbo Dei, ministrare mensis. Postremò, si pecunias ipse tractare assueueris, metuendum est, ne famæ tuæ atque existimationi aliqua labe ab iniquis, & omnia peiorem in partem interpretantibus, adspargatur. Quæ cuncta incommoda effugeris, si hæc Christianæ caritatis & officii partes eidem Sodalitio delegaueris. Quotidiani vsus præcepta, ad eternam salutem præcipuè necessaria, in B. Virginis & in Misericordiæ templo palam in tabella propones. Ad ea perlegenda, exscribenda, & quod caput est, obseruanda, cum cæteros invitabis; tum verò pœnæ loco, si res postulet, adiges in tempus certum, quorum ipse confessionem exceperis; vt inde perpetuam, si fieri possit, eius disciplinæ cōsuetudinem sponte retineat.

Singulis

Singulis verò noctibus, voce ad commiserationem accommodata, vicitim populo commendabis opportuna deprecatione adiuvandas animas, quæque in hac vita peccato letali tenentur, quæque in altera purgatorio igne torquentur. stas per hebdomadam diebus operam conferes ad similitudines civium dirimendas, restinguenda odia, forenses denique controuersias componendas, quippe quarum impensæ magno civium damno sæpe sortem exsuperant. Ergo iis omni ope obuiam ibis: atque ipsos etiã, quorum interdum culpa lites aluntur, scribas ac leguleios, tibi aliquo pacto detinere, & saluari quopiam remedio sanare conaberis. In concionibus autem, quo magis commune bonum id est, eo maiorem, ut dicebamus, industriam, & assiduitatem, & operam collocari, & que illas ad vulgi oblectationem plausumque, sed ad morum commendationem & vnius Dei gloriam omnino referri par est. Amorum quippe agitur salus: adhibenda vulneribus remedia; non prurientes aures curiosis quæstionibus & inani sermone scalpendæ, ac proinde accersita, fucata, dubia, obscura, controuersa, ac medium adduxeris. virtutis amorẽ, vitiorum odium excitare intendes: & ex iis quæ pro vniuerso mortaliũ genere Christus dominus acerbissima pertulit, locum subinde aliquẽ inducendo, ad malè actę vitę detestationem, ad lacrymas, ad pœnitentiã & Eucharistiæ Sacramenta populum vehementer impelles. Inter dicendum autem, vide ne quem eorum, præsertim qui cum imperio potestate sunt, apertè perstringas. Exulcerare plagas hoc quidem est, non curare. & qui longius in eo genere prouehuntur, efficiunt nihil, nisi vt magno labore, fructu nullo, gratias perdant, odia collegant. Priuatę obiurgationes in priuato adhibendæ sunt, & quædam plurima humanitate conspersa opulentiũ verò ac potèntiũ viris, quod ferme delicatum & fastidiosum est genus, inter ipsam admonitionem subinde etiam te ad pedes abijcies; vel, si res ruerit, caros dabis amplexus: planè vt perspiciant nõ tristitia te vlla, vel seueritate, vel negotiorum appetentia, sed eximia quadam beneuolentia & caritate, ad officium reprehensionis adduci. lam verò, de familiari conuictu, & quotidiana cum hominibus consuetudine, haud leuis est animaduersio; multasque & magnas ea res habet cautiones: quarum prima illa est: Ita vtendum amicis, quia non tu quidem illis, sed illi tibi olim infensi infestique futuri sunt. Id si præsumpseris animo; longè attentiũ omnia circumspicies, & que ipse in officio continebis, neque in securitatem effusus, admittes quod aliquando tibi exprobrari aut objici possit. In vniuersum tamen, te cunctis mitem, iucundum, affabilem præbe-

velim; vt ea comitate illecti (nam alioqui anceps & periculosa cura-
 ratio est, quod item supra monuimus) omnes tibi pectorum suo-
 rum latebras ac recessus aperiant. Alter locus cautionis est, ope-
 ram des vti studiosos recti, verosque discipulos, à fictis prauisque
 dignoscas; & conuenientem vtrisque facias medicinam. Nō enim
 deerunt plurimis obstiti vlcerebus, qui, vel metu ne illa detegas, vel
 etiam captandæ ad cæteros commendationis causa, vltro sese tuā
 in amicitiam ac familiaritatem insinuare non dubitent. ij, si te in-
 ter cætera ad prandium aut cœnam inuitent, i sanè; ac tu vicissim
 illos ad Sacramentum Confessionis inuita: curaque, vti prorsus
 intelligant, fixum esse tibi certumque, eos omni ratione ad Chri-
 stianam seueritatem, ac disciplinam, à laxiore vita deliciisque tra-
 ducere. sic fiet, vti vel in posterum te frustra interpellare desistant;
 vel (quod optandum est magis) ad meliorem frugem, te duce ac
 magistro, tandem aliquando perueniant. A donis muneribusque
 (friola quadam excipio; quæ si recuses, largitor vti que Lusitanus
 contemni se putat) omnino abstinebis, vulgati prouerbij memor,
 Captum esse, qui ceperit. Ioannes tibi Rex omnia ad victum cul-
 tumque necessaria detulit; eius vt ere benignitate, atque id ipsum
 modicè, vel etiam intra modum; vt votiua paupertatis religiosa
 professio constet. Si multis à partibus ad te cibaria cocta seu
 cruda mittentur; ea tu ad carcerem vel ad valetudinarium pu-
 blicè deportanda curabis, atque hoc pacto, in tractandis homi-
 num ingeniis tua tibi ratio longè solutior & expeditior fuerit.
 Quos ad vitia proiectos & in peccandi libidine perperam obsti-
 natos offenderis; gehennæ quidem illos & futuri terrore iudicij
 maximè commoueri oportebit. sed quoniam hæc nimium ab-
 esse longè stulti homines putant, multi etiam propter fidei im-
 becillitatem, sint ne omnino vlla, turpiter ambigunt; at tu,
 morbos, ærumnas, calamitates, exsilia, vincula, cædes, orbita-
 tes, naufragia, bonorum proscriptiones direptionesque, & alia
 malorum genera sexcenta percurres, quibus in hac etiam vita
 impios ac prauis tenaces homines afficit Deus: eaque denuntia-
 tione perditos & insanos ab amentia reuocare conaberis. Si cum
 irato, & flagrante cupiditate vindictæ, res tibi fuerit; blanda pri-
 mum oratione, quasi aliud agens, mulcebis hominem: dein, ca-
 pto circuitu, sensim ad causam accedes, vt quam ille queratur in-
 iuriam eleues verbis, & multo minorem opinionem fuisse demon-
 stras: aut etiam diuino permisso relatam, quod iniuriosum ille
 quoque se quondam in alios fortasse præbuerit. ad hæc & alia
 id genus dicta, si te auersabitur, cedes tempori scilicet: si dede-
 rit

rit sese, premes paulatim acrius, & identidem instabis, quoad se-
data perturbatione reliquam abs te medicinam libere accipiat,
eadem ferme obseruatione, ad leniendum dolorem, mœroremq;
& ceteras animorum ægrotudines, uti licebit. Atque hæc cum iis
qui Christiani censentur. Conuertendis autem ad Christum Iu-
dæis, ethnicisque, suum item spatium ac laborem imperties: quâ
ad rem, ne longior sim, non pauca ex iis quæ supra posuimus
transferri commodè poterunt. Verùm de his hæcenus. redeo ad
primâ. Tu fac in aliorum curationem ita, mi Gaspar, incum-
bas, ut interea tuæ ipsius perfectioni ac saluti quàm diligentissi-
mè consulas. Vale.

EIVSDEM AD SOCIOS GOAM.



HA P O N E M Deo adspirante attigimus Augusto mē-
se, die Assumptioni Mariæ Virginis sacro, eum fe-
sto ipso Diui Ioannis Baptistæ die natali Malaca
sub vesperam soluissemus. Nauiculario vñ sumus
ethnico, mercatore Sina, qui suam in id operam
Præfecto Malacæ detulerat. ac primò sanè feliciter nauigau-
imus: sed mox (ut sunt barbarorum ingenia ad leuitatem atque ad
inconstantiam prona) profectiois mutare consilium nauicula-
rius cepit, & in occurrentibus passim insulis tempus frustra con-
terere. Nobis autem in eo itinere cum alia multa, tum illa duo
præcipuè molestissima contigerunt: alterum, quòd oblata diui-
nitus tempestate nauæ per nequitiam abuterentur; qua elapsa,
ad oram Sinarum appellere, ibique rotam hyemem, cursum ex-
spectantes, ponere cogebamur: alterum, quòd in eadem naui si-
mulacrum vehabatur demonis, cui nauæ, quanquam inuitis no-
bis & inspectantibus, patrio ritu sacrificabant. ab eodem etiam
per sortes de ipsa nauigatione petebant responsa; quæ (ut aiebant,
credebantque barbari) modò læta, modò tristia reddebantur.
Centum à Malaca leucas, Sinas versus prouecti, quandam ad in-
sulam steterimus: ibique aduersus maris illius sequitiam naualibus
instrumentis aliaque materia comparata, post multas ceremo-
nias & sacrificia quæsitum est ab idolo, prosperam deinceps for-
tunam essemus habituri, necne. cum valde prosperam respõdisset,
proinde, ne moraremur diutius, sustulimus anchoras, velaque
gratulabundi fecimus omnes: illi, simulacro quod in puppi loca-
tum candelarum luminibus odoramentisque ex incenso ligno
quodam Aquilano venerabantur: nos conditore celi terræq; Deo
& eius